AD QVODLIBETARIAM.

QVAESTIO MEDICA MATVTINIS DISPVTATIONIBVS AGITANDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XV. FEBRVARII.

MAGISTRO QVIRINO LE VIGNON DOCTORE MEDICO MODERATORE.

An φθίσις ἀνίατος?



QVOD primus motor cœli motu, Solis lumine, syderum influxu, huic mundo inferiori confert, idipsum anima formarum princeps cœlestis (ideoque cœlesti rore vere nutritio sæpius recreanda) Cerebri, Cordis, Hepatis & Pulmonum ministerio, in corpore humano efficit, in quo, licet ipsum formæ suæ minimè respódeat, integra prædictarum & cæterarum partium διαθέσει, suas perfectè non tamen vbique similes, cum non vna sit cuiusque & sibi constãs natura, obit functiones, in cerebro ἡγεμονικοῖς locis distinctas & ab ipso in musculis sensificas & motrices κατὰ προαίρεσιν, in corde & hepate cæterisque partibus vitales & naturales ἀπροαιρέτως, quæ partes mutuas tamen ad hominis salutem tradunt operas: mutata verò ac peruersa hominis euexia, quæ fluxilis certè est, vicissitudinique obnoxia pro ętate, anni tempore, regione, partibusque malè affectis & animę minus obsequentibus in obeundis actionibus, ipsa tristatur tenebris inclusa & carcere cæco; corporis enim temperiem animi mores sequuntur, ipseque in læso cerebro sæpius delirat.



HEV sortem humanam nasci, dolere, mori (mitto funestas grauiditatis calamitates ἔκρυσιν, διαφθορὰν, ἀποφθορὰν, vtroq; generoso remedio cum delectu agente, venæ sectione & purgatione, cęterisque artis medicę præsidiis, sed à solis & legitimis Æsculapij filiis etiam pluries, si res exigat, vsurpandis, tutò, certò, ac fœliciter pręcauendas) corpore ad anni quatuor tempora analogiam habente, quod caloris virtute in pręcipuas partes distribuitur, caput non φοξὸν non στρογγύλον rationalis animæ domicilium, thoracem micantis perpetuò cordis, eiusque mancipij pulmonis regiam, ventrem hepatis αἱματοποιητικοῦ, ventriculi χυλοποιητικοῦ, splenis & intestinorũ his famulantium ergastulum, & artus molis totius basim & fulcrum. Vt autem humani opificij calor virtute formatrice author est & fautor, sic eiusdem destructor & euersor existit; eius namque excessu aut defectu (apage climatericas & astrologicas vanitates) corpus omni ætate & tempestate morbis tum acutis, vt sunt pleuritis, phrenitis, cardiogmos, lethargus, angina, apoplexia, spasmos, ileos, pestis, &c. tum chronicis, quorum difficilior quam acutorum prognosis, vt sunt podagra, catarrhus, tussis, calculus, nephritis, colicus dolor, diarrhœa, dysenteria, paralysis, epilepsia, cephalea, empyema, phthisis, conflictatur præpediturque, licet minus periclitentur quibus morbus naturę & ætati conueniens accidit.



MORBORVM autem, quibus homo quouis anni tempore impetitur, alij curãtur tum à natura ipsa quæ sibi exitus aditusque non ex sententia reperit, sed indocta & citra disciplinam quæ oportet facit: tum artis præceptis & artificis genio, ipsa quandoque arte superioris partis, affectus, & remedij peritissimi: alij ita sunt contumaces, vt nec naturę, arti, & artificis industriæ cedãt planequè ἀνίατοι euadant, vt apoplexia obstructis cerebri meatibus, phrenitis cerebro phlegmone vel erisypelate correpto, cancer qui medicamentis magis irritatur, elephantiasis, hydrops, ileos, epilepsia (maximè si à puero incipiat) arthritis quæ periodica & postliminio redire consueta, angina foris non aspectabilis, asthma senum maximè, pleuritis in qua nihil expuitur, phthisis denique tussi validæ & diuturnæ, asthmati, pleuritidi, multisque aliis affectibus succedanea, à pulmone vlcerato θηριώδης & lethalis.



HINC pulmonis misera & calamitosa conditio, licet eius cum corde homini ad vitam æqualis penè sit necessitas, qui cùm cordi ἀρχῇ ζωτικῇ periucundam peramœnam & salutarem auram indefessus elaboret, Tallionis ergò à reliquis corporis partibus ἄνω κάτω tetros spurcos & olidos expiratus quandoq; inspiret, quibus admirabili sua virtute πνευματοποιητικῇ exutus, quam cordi nauabat operam, suimet oblitus cogitur intermittere, stagnantibusque & putridis spongiosa sua carne imbutus & innatans humoribus, post multos in hoste propulsando irritos conatus, tandem acutis & acribus humorum spiculis lancinatus, phthisi nunquàm sanandâ humoris primigenij consumptione & caloris natiui extinctione, miserabiliter occumbit, trahitque partes cæteras in societatem ruinæ.



EST autem propriè φθόη (cui πτερυγώδεις maxime obnoxij) totius corporis extenuatio quæ ab vlcere pulmonum accidit cum febre hectica (ex qua marasmus fit insanabilis) oculis concauis, collapsis temporibus, crebro anhelitu, sputis, sanie taboque conspersis, &, si in carbones iniiciantur, mali odoris, capillorum defluuio, cutis circa frontem distentione & siccitate, aduncis vnguibus, alui profluuio à labefactata omni naturali œconomia, totius denique corporis languore propter febrem intermissionis expertem, & impeditam in partes solidas humorum, spirituum, atque caloris συῤῥοήν.



Ergo φθίσις ἀνίατος.

Saint Luc
Patron des medecins orthodoxes

Proponebat FRANCISCVS QVIQVEBEVF Parisinus A. R. S. D. C. xviij.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Robertus Tulou.
M. Michael Bommer.
M. Anthonius le Rat.
M. Dionysius le Soubz.
M. Bartholomæus Baralis.
M. Gaspar Brayer. M. R.
M. Gabriel Biart.
M. Ioannes Desgorris. M. R.
M. Renatus Chartier. M. & P. R.